

LITTERAE COOPTATIONIS IN


A SERVO DEI VINCENTIO

SVB TVTELA IMMACVLATAE VIRGINIS

PIAM SOCIETATEM MISSIONVM

PALLOTTI FVNDATAM

MARIAE APOSTOLORVM REGINAE



*Sicut in Christo Domino Recens Domino Iohanni Bosco Rectori Majori Salesianae Societatis.*

Quum in hanc nostram Piam Societatem adscribi postulaveris, ut operam tuam conferas ad propagandam Fidem inter infideles, haereticos et schismaticos, nec non ad magis augendam charitatem inter Catholicos iuxta finem eiusdem Societatis; Nos qui huic Societati licet indigni praesumus, dum Domino benedicimus qui mittit Operarios in messem suam, votis tuis libenter annuentes, te per hasce Litteras manu nostra subscriptas, sigilloque Nostri Officii munitas, in hanc Piam Societatem suscipimus atque cooptamus, *nec non tuam Societatem in honorem et sub protectione S. Francisci Salesii institutam.*

Scias itaque te virtute praesentium, participem fieri omnium Missarum, Horarum Canonicarum recitationis, Evangelici Ministerii exercitationis, Precum, Contemplationum, Poenitentiarum, Carnis macerationum, ac caeterorum bonorum spiritualium, quae tam privatim quam publice, non modo a Nostra hac Societate, verum etiam a Religiosis Ordinibus Monachorum, Fratrum, Clericorum Regularium, Sodalitatum, necnon a Monialibus iisdem Ordinibus subiectis, adiuvante Omnipotenti Deo, ubique terrarum peraguntur: uti constat ex Rescripto PAPAE PII IX. dato die 1 Iuli 1847. quod in Archiviis Piae Nostrae Societatis ad SS<sup>m</sup>i Salvatoris in Unda asservatur. Insuper noveris te lucrari posse Indulgentias fere innumeratas illorum Religiosorum Ordinum quibus a Summis Pontificibus datum est eas aliis communicare, quasque Nostrae Societati communicasse, tum ex Regestris eorumdem Religiosorum Ordinum, tum ex eorum Diplomatibus concessionis patet.

Quod quum exequimur, speramus fore ut sit tibi incitamentum efficax strenue et perseveranter in vinea Domini collaborandi, ad maiorem eiusdem Omnipotentis Dei Gloriam, ad destruendum peccatum, ad salvandas animas. Quod faxit Deus per intercessionem Immaculatae M. V. Apostolorum Reginae.

Datum Romae e S. Recessu SS<sup>m</sup>i Salvatoris in Unda. Die 12 Mens. Maii Ann. 1884.

*Pro Rectore Generali*

*Carolus Maria Olundi  
Sacros dictis Sive Societatis  
Missionum.*

*A Secretis*

